



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

9. Quænam veræ viduæ ce[n]seantur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Iob. 29. 13.

A. 2. p. 39.

Itemque: *Si negavi, quod volebant pauperibus, & oculos viduarum peccare feci.* Denique, quid profit, viduis benefacere, Apostolica historia docet. Nam ad mortuam Tabitham Petrus cum aduenisset, duxerunt illum in cenaculum: & circumsteterunt illum omnes viduae stantes, & ostendentes ei tunicas, & vestes quas faciebat illis Dorcas. Quemadmodum ergo optimi olim oratores, dum diloricatis vestibus vulnorum cicatrices monstrabant eorum, quorum causam agebant; ita & viduae illae perorabant, Petroque vestes sibi à Dorcade factas exhibuerunt, quibus motus est, remotis vt arbitris pro defuncta oraret, eamque à morte excitaret. *Et cum vocasset sanctos, & viduas, assignavit eam vitam.* Viuere enim planè digna erat, cuius liberalitate tot viduae vitam sustentarunt. Ad eundem modum ipse quoque Christus iudex venturus vita sempiterna dignos iudicabit omnes illos, pro quibus, si ceteri omnes tacebunt, viduarum vestes & beneficia causam dicent. Videant ergo viduae, quo loco sint apud Deum, à maritis desertæ; & quo honore apud homines dignæ, quæ immitibus & faxeis fibris despicabiles videntur.

IX.

Hæc autem omnia intelligi par est de viduis, quæ verè viduae sunt. Verè vidua est, non solum quæ verè orba & deserta est, sed quæ etiam ei se statui conuenienter gerit. Qualis non fuit illa, quæ Domino dicenti: *Vade, voca virum tuum, & veni huc,* respondit: *Non habeo virum.* Itaque eam seuerè perstrinxit IESVS, *Bene dixisti, inquit, Quia non habeo virum: quinque enim viros habuisti; & nunc quem habes, non est tuus vir.* De talibus Timotheo Apostolus sic loquitur: *Adolescentiora viduas deuota, nec admitte in collegium viduarum Deo dicatarum.* Sunt enim leuiore; sunt mutabiliores; & à castitatis professione resiliunt facile; amasosque sectantur, cum quibus occultè fornicatæ, tandem publicè, & palam volunt nubere, idque in Christi iniuriam, cui iam antè, per castitatis votum se desponderant. Hoc enim est, quod ait: *Cum enim luxuriata fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Simul autem & otiosa discunt circuire domos: non solum otiosa, sed & verbosa, & curiosa, loquentes, quæ non oportet.

Iob. 4. 16.

1. Tim. 5. 11.

His